



C. B. D.

C A P U T I.
DE RIGORE IPSO.

§. I.



Thesis nostra hæc est: Jus N. jure positivò est rigidius; quam proinde in modum comparatarum propositionum resolvemus.

§. II.

Unius prædicati, quod est rigor, duo sunt subjecta: Jus N. & positivum. Utrumque quidem, cum prædicatum sit accidens, est subjectum tam inhætionis quam prædicationis; alterum tamen magis, alterum minus tale.

§. III.

Magis rigidum est J. N. quod ex hac causâ in casu rectò effertur.

§. IV.

Jus N. vel est concessivum vel præceptivum. Illud confert facultatem agendi & non-agendi: hoc jubet agere vel non agere; *Dn. Præses in Compend. J. N. part. I. c. 1. §. 3.*

§. V.

Rigidum est Jus N. non concessivum sed præceptivum.

Ex his solum Jus præceptivum est subjectum rigoris nostri; concessivum enim cum planè non præcipiat, quomodo rigidè præciperet? Imò verò non esset Jus concessivum, nisi liberam agendi & non-agendi relinqueret facultatem. *Vid. Proleg. part. II. Comp. I. N. §. 32.* Ex hac causâ de solò Jure N. præceptivò, non de concessivò, sequentia omnia sunt intelligenda.

§. VI.

Minus rigidum est jus positivum; quod in thesi nostra §. I. ob hanc causam in obliqvo casu ponitur,

Jus